


Heinrich Dringenberg

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hinricus Dringenberg/  
Hebraicorum Profess. Publ: ... Luciae Weltziens/ Funus, Quod ipsi, ceu Coniugi  
desideratissimae lacrimis ac doloribus mersus Maritus, Vir ... Dn. Gaspar  
Vierecke/ in Moysal & Wentdorff/ haereditarius ... Hodie paratum ibit, solenniter  
indicit, Et ad eundum exequias Omnium ordinum Cives Academicos ... invitat**

Rostochii: Kilius, [1668]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777235781>


Druck Freier  Zugang



Müller, S.,  
auf L. Welgin,  
Chefr. des C. Vieregk.

27.  
Rostock. 1668.















PROGRAMMA

211.

*Quo*  
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

HINRICUS Dringenberg,

Hebraicorum Profefs. Publ: & Am-

plifs. Facultatis Philosophicæ hodiè

DECANUS,

*MATRONARUM Clarissimæ Nobilissimæq;*

B. LUCIÆ Welztiens/

Funus,

Quod ipsi, ceu Conjugi desideratissimæ

lacrimis ac doloribusmersus MARITUS,

*VIR Generosus ac Nobilissimus*

DN. GASPAR Zierecke/

in Maysal & Bendorff, hæreditarius, ut &

Marschallus Dominatus Butzoviensis, nec non

COS. REIP. nostratis gravissimus,

*Hodiè paratum ibit, solenniter indicit,*

Et ad eundum exequias

Omniū ordinum CIVES ACADEMICOS

studiosè benivoleq; invitat.

---

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typ.



111

BIBLIOTHECA

UNIVERSITATIS

ROSTOCKENSIS

1777





ETAS MEA TRANSPORTATA EST AB ME TANQUAM TENTORIUM PASTORALE: PSÆCIDI, UT TEXTOR TELAM, VITAM MEAM. Hæc de se jam, jam moriturus HISKIAS.

Quem quidem geminâ similitudine fugacitatem vitæ præsentis adumbrare advertas. Quarum altera defumatur à tentoriis Pastorum; à telis textorum altera. Svererunt opiliones tabernaculum construere ex asseribus, idemq; duabus vel quatuor rotis impositum de loco in locum proferre. Quin messis atq; vindemiæ tempore, in agris vineisque umbracula sive tuguria struunt agrorum vinearumq; custodes, quæ finitâ messe & vindemiâ, vel destruunt, vel collabi sinunt. Non absimilis hominum, etiam in Regiâ fortunâ positorū, conditio est. Ubi minime id futurum arbitrantur, mutatur locus, finitur vita,



tur vita, tabernaculum domus terrestris destruitur. PRÆCIDI, UT TEXTOR TELAM, VITAM MEAM. Quid REGI cum Textore? inquires: Textura vilis ac contempta vulgò est, fateor; at non indignam judicavit REX potentissimus, idemq; piissimus, quam instituto eximie suo accommodaret. Magna relæ ac lini est dignitas, magna utilitas; Magna vitæ hujus dignitas, magna utilitas; quippè cujus rectè collocatæ usus non angustiis vitæ hujus terminis circumscribitur, sed in omnem extenditur usq; æternitatem. Tela stamen & subtegmen complectitur. Stamen vitæ nostræ sunt anni, quos divina definivit, aut ad mensa cuiq; est, providentia. Subtegmen non absurdè crucem & ærumnas vitæ præsentis appellites. Tela alia longior, alia brevior, citius alia, alia tardius rescinditur, prout rextori placuerit, aut ex re vitum fuerit ipsâ. Nec alia profectò vitæ conditionisq; humanæ fors est. Longævus fuit MATUSCHELACH: vixit enim nongentos sexaginta novem annos. At multò angustioribus & nune, & pridem, vita nostra spaciis includitur. Ex re & vero θεοφιλέστατον MOSCHE. *Quod attinet ad dies annorum nostrorum, in eis sunt septuaginta anni; sicq; admodum invalescant, octoginta sunt: ceterum omnis eorum excellentia, labor & molestia.*  
 In qui



In quibus verbis minimè dimittendum, aut silen-  
tio prætereundum est, quod ait divinus VIR,  
*excellentiã ævi humani non nisi laborem ac molesti-  
am esse.* Quod profectò tanquam ex tripode  
dictum videri queat. Firmatur indè omninò,  
quod supra in adducto simili per *subtegmen tela,*  
ærumnas calamitatesquè vitæ nostratis, sic satis  
concinnè significari posse, innuebamus. Sanè  
*maris* habere instar non immeritò vita hæc dice-  
tur. Uti in illo, ita in istâ quoquè fluctus assidui,  
sæpenumero tempestas; malacia & tranquillitas  
rara; portus, nisi mortis, nullus. Benè igitur ha-  
bet, si quis ex fluctibus istis tandem in portum  
hunc subvehitur, qui miseris laboribusq;, quos  
tot annos, tamq; variè patimur, metam figit, aut  
magè imponit finem. Is profectò non impen-  
sius queri debet, quàm qui tædiofissimâ naviga-  
tione defuncti quietem tandem pacemq; recipe-  
rant. Stulissimos igitur (alibi idem scribere  
meminimus; & hæc quoq; repetere visum est)  
& ignavissimos pariter reputamus eos, qui ma-  
lint affligi assiduè, quàm semel de vitâ exire.  
Quid enim illa in his terris aliud est, quàm vallis  
confusionis, carcer afflictionis, perpetua & ab  
exilio non differens peregrinatio, periculosa na-  
vigatio, mala mansio. Quid autem Homo? verè  
A 3 imbecil-



imbecillitatis exemplar, verè spoliū temporis,  
verè ludus fortunæ, mancipium laborum, mise-  
riarum gymnasium, præda deniq; mortis. Non-  
nè à fletu statim, quod primum nascentium est  
omen, vitam ordimur & veluti inviti lucem susci-  
pimus? Nonnè pueritiam inter flagra; robur æta-  
tis inter dura operum exigimus, nunc spei, nunc  
metus, nunc iræ, nunc amoris ludibria? Interea  
temporis morti semper crescimus, & semper su-  
mus obnoxii. Quamdiu enim carneam hanc ge-  
stare contingit molem, tamdiu & nobiscum,  
mortem circumferimus, quam non deposituri  
sumus antè, quam illam exuerimus. Bellè tamen  
habet. Pervenimus hâc viâ eò, ubi nulla ampliùs  
urget timendi caussa; à periculis scilicet in securi-  
tatem, à labore in quietem, à dolore in volupta-  
tem, ab exilio in patriam, ab alto in portum, ab  
orco in cælum. Itaq; præclare etiam actitatum  
cum **FUNCTA** est nostra, quæ molestis omnibus  
laboribusq;, quibus exposita hæctenus non unis  
fuit, defuncta tandem, ante trimestre vitam cum  
morte commutavit. Quam felicitatem summam  
clarissimæ nobilissimæq; **MATRONÆ** meritò  
exq; animi sententiâ gratulamur; & jam porrò,  
quæ ad commendationem ejusdem pertine-  
bunt, quorumq; commemoratio ex ultimis hu-  
manitatis



manitatis officiis est, exequimur; vindicaturi hoc pacto, quantum in nobis est, beatè defunctæ ab interitu memoriam. Quamquam nil præclare adeo dici in eam scribere queat, quin virtus id ipsius & excellentissima in doles longissime omne exsuperârit. Nara est ex nobilissimo antiquissimoq; genere der **Welzien**; Patre strenuo ac generoso DN. **HINRICO Welzien** / in **Weissin & Grambow** hereditario; Matre q; nobilissimâ, omniumq; virtutum genere ornatissimâ **MARGARITA von Warnstien** / ex domo **Storff** Marchiæ Brandeburgensis oriundâ. Avus paternus fuit nobiliss. DN. **JOACHIM Welzien** / in **Weissin & Grambow** hereditarius; Avia paterna nobilissima **MAGDALENA Passowen** / ex domo **Stdrig** oriunda. Proavum primum patrum habuit Nobiliss. strenuumq; DN. **BALTHASAREM Welzin** in **Weissin & Grambow** hereditarium. Proaviam paternam nobiliss. **CATHARINAM Driebergs** / ex domo **Lutken, Spreng** progenitam. Proavum primum ex Avia maternâ nota est nobiliss. generosumq; DN. **JOACHIMUM Passow** / in **Stedrich** hereditarium; Proaviam maternam, ex eadem lineâ nobiliss. **MARGARITAM Levebowen**. Abav, patern, extitit strenus & nobilissimus DN. **CASPAR Welzien** / in **Weissin & Grambow** hereditarius



ditarius; Abavia nobiliss. ELISABETA von Bü-  
lowen / ex domo Biedrig profata. Atavus ex pri-  
mâ proaviâ maternâ, lineæ paternæ, fuit Nobiliss.  
fortissimusq; D N. ADAM Orieberg / in Lütken-  
Spreng hereditarius: Atavia paterna ex eadem  
lineâ nobilissima CATHARINA von Linsto-  
wen / ex domo Lütendorff. Tritavum Paternum  
sortita est Nobiliss. Hinrich Welzin / in Weiffin  
& Grambow hereditarium; Tritaviam paternam  
Nobiliss. Ilsebe Restorffen / ex domo Kadenpsuel  
oriundam. Alter tritavus paternus extitit No-  
biliss generosusq; Berend von Bülow / in Tramb  
hereditarius: Altera Tritavia, Nobiliss. MAR-  
GARITA Restorffen / ex domo Kadenpsuel pro-  
gnata. Ceteri sunt lineæ paternæ Majores die  
Linstöwen / die Uschenberg / die Leisten / die Penzen /  
die Bülowen / die Lühowen / die Lebekowen / die Lüh-  
berstorffen. Ceterum paternum Avum saluta-  
vit Nobiliss. D N. Melchior de Warnsted / in  
Fredstorff Königsberg & Ganz hereditarium.  
Aviam verò maternam nobilissimam Ilse von der  
Lüh / ex domo Büttelkow & Büschmühlen. Pri-  
mus Proavus ex avo materno fuit Nobiliss. En-  
geldt von Warnsted / in Fredstorff & Königsberg  
hereditarius. Abavia ex avo materno Nobiliss.  
Orilia von Psuelen / ex domo Etcheln nata, Proa-  
vum.



vum primum ex aviâ maternâ, lineæ ejusdem,  
 indepra Nobiliss. maximeq; strenuum **Ditto**  
**von der Lühe** / in **Büttelkow & Buschmühlen** he-  
 reditarium. Proavia vero primam ex aviâ ma-  
 ternâ, Nobiliss. **LUCIAM Köhren** / ex domo  
**Neuhansen** / Marchiæ Brand. progenitâ. Abavus  
 primus paternus ex maternâ lineâ extitit Nobi-  
 liss. **Erich von Warnstet**; Abavia paterna ex ea-  
 dem maternâ lineâ, Nobiliss. **ELISABETHA**  
**von Krumensee** / ex domo **Gangberg** / veteris Mar-  
 chiæ, nata. Atavum ex prima proavia mater-  
 nâ, lineæ maternæ, habuit Nobiliss. fortissi-  
 mumq; **Hinrich von der Lühe** / in **Büttelkow &**  
**Buschmühlen** hereditarium. Ataviam vero ex  
 primâ proaviâ maternâ ejusd. lineæ Nobiliss.  
**LUCRETIAM Berfentien** / ex domo **Zecher** ori-  
 undam. Abavus paternus, ex Abavo secundo  
 paterno, lineæ maternæ extitit Nobiliss. & ge-  
 nerosus **David Pfuhl** / in **Sicheln** Marchiæ Bran-  
 deb. hereditarius. Abavia vero materna ex al-  
 tero proavo paterno, lineæ maternæ, Nobiliss.  
**ANNA von Platen**. Atavus paternus secun-  
 dæ proaviæ maternæ, lineæ ejusd. deprensus  
 est Nobiliss. **Hinrich von Krumensee** / in **Gang-**  
**berg** March. Brandeb. hereditarius. Atavia  
 vero materna, ex proaviâ maternâ, lineæ ma-  
 ternæ

B

ternæ



ternæ Nobiliss. SOPHIA von Rohen/ vom Ne-  
wenhause March. Brandeb. nata. Ceteri Majo-  
res lineæ Maternæ fuere; die Halberstaden / die  
Cossawen / die Bredowen / die Königsmarck / die  
Krummensee / die Stralendorffen / die Daldorf-  
fen. Tam sublimis ac splendida NOSTRÆ  
nascendi fors contigit; sed tota tamen, quanta  
quanta fuerit, carnalis, & ad salutem æternam  
nil omnino momenti collatura; sexcentiesq;  
vel minor vel inferior alterâ illâ, quam per  
aquam nacta & Spiritum est, quæq; una vereq;  
nobilitavit, fecitq; adeo, uti in DEI dudum  
adscisceretur Civitatem, cælestiumq; nunc re-  
apse hereditatem adiret. Quo ipso regene-  
rationis divino beneficio potita, & jam ætate  
aliquantò provector, honestissimam continuò  
egregiamq; maximè mentem, quam melior  
Natura attribuerat, præ se ferre, idq; studere  
summoperè visa est, uti, sicut excellentia ge-  
neris, ita virtutum quoq; prærogativâ ceteros  
sui sexus prætergrederetur. Enimverò rectis-  
simè secum reputabat, nascendi sortem, ge-  
nerisvè præstantiam cæno pejùs collini mo-  
rum spurcicie, parumq; natalium decus con-  
ferre lucis, nisi animus & vita responderint.  
Annos nata unum & viginti, adeoq; ita com-  
parata



parata, uti sustinere sveram Conjugii legem,  
posset, desponsata est, DEO ira rem disponen-  
te, nec nolentibus suis (parentes saltem sex-  
ennem, tristi fato, reliquerant) generoso no-  
bilissimoq; D N. G A S P A R I **Vierecken** / in  
**Moyssahl & Wendorff** hereditario, Episcopæ  
Butzoviensis Archimarschallo; Viro cum  
quovis veterum Germanorum, si fidem, can-  
dorem ac dexteritatem spectâris, comparan-  
do; ipsâ canitie venerabili, REIP. nostratis  
COS. gravissimo, beneq; tot jam annos me-  
rentissimo; Curix tibicini, clarissimoq; splen-  
dori; Amico & Favitori nostro honoratissimo.  
Qui ipse torus plurima certè felicitatis argu-  
menta habuit. Enimverò & stabilis sic fatis  
fuit, ut qui, inusitato planè exempto, totos  
48. annos, ii. septimanas, diesq; insuper 5. per-  
duravit; munieritq; sese etiam mirifica concor-  
dia & pace. Non litium ibi timerè audires quic-  
quam. Certatum mutuis est amoribus: in quo  
pugnæ genere uterque contendit ad summum;  
neuter vicit aut superavit. Norat Maritus, re-  
tinendæ in officio conjugii nil facturum magè,  
quàm favorem ac benivolentiam: IPSA vicif-  
sim pulcrè didicerat humanitate atq; obsequio  
HERI sui animum sive demulcere, sive deme-



rerum. Deniq; eximia etiam fœcunditate conjugium fuit, ut ex quo quini ordine liberi gignerentur. Quorum quatuor ipso ætatis flore originem repetiere suam, cæloq; undè venerant, restituti sunt. Unica, per DEI gratiam, etiamnum superstigans est Filia, Nobiliss. ac Splendidissima MAGDALENA-LUCIA, VIRO Generoso Strenuoq; DN. Gothard Vogelsang / Sereniss. ac Potentiss. SVECIARUM REGIS olim supremo Colonello, in Erbsøhagen & Gårto hereditario, felici planè sidere elocata. Ex quâ FUNCTA NOSTRA nepotes, non sine singulari animi sui prolubio, vidit 3. neptesq; 4. quorum lex (duo funere jam mersi suo) Nobiliss. syavillimæq; Avix exequias præsentis, sed mœsti dolentesq; unâ cum nobiliss. matre, prosequuntur. Christianismum MATRONARUM clarissimæ quod attinet, planè is fuit eximius, ipsaq; DEO semper cæloq; vacavit, i. e. egit, uti sancte jugiter, incorruptè sineq; notâ ac fabulâ viveret, nilq; committeret unquam earum rerum, quæ probro sibi ac de honestamento esse possent. Hujusmodi vitæ sub ipsa jam, uti supra monebamus, initia, fundamenta jecerat, & successu ætatis provehebat cotidiè in majus, Tandem perfectissimam quasi



quasi quandam, quam tota inhabitaret, extru-  
xerat VIR TUTUM elegantiarumq; domum,  
Publicis sacris ac concionibus mirâ semper in-  
teresse devotione (nisi fors impedimento vale-  
tudo, aut obstaculo foret) visa est. Sed & do-  
mi deprensâ cum suis urgere assidue pietatis ex-  
ercitia, nec quicquam temere auspiciari, quod  
quidem muneris ratio imponeret, priusquam  
DEO reddidisset suum. Certè omnium cala-  
mitatum ac miseriarum, quas tot nunc annos  
pâtimur, causas non ex alio, quam impietatis  
fonte arcessebat, aut quòd non multum curato  
NUMINE, rebusq; divinis insuper habitis, in  
omnis generis flagitia sceleraq; certatim penè  
rueretur. Sed neq; proximum, quem labora-  
re, aut opis indigere suâ nôrat, unquam desti-  
tuit; largissimè potius semperq; juvit, sic uti ipsa  
propemodum charitas aut liberalitas esse vide-  
retur. Ceteræ quoq; MATRONÆ dotes  
maiores utiq; ac eminentiores fuere, quam uti  
celebrari satis abs nobis, laudariq; possint. Et re-  
censabitur prolixior, quibus fulsit, virtutum ca-  
talogus eâ concione, quæ habenda ipsi, pro mo-  
re, est funebris. Nos proin ad extrema tan-  
dem properabimus, morientem NOSTRAM  
compendio consideraturi. De morbo certe,



quo perierit, non magnopere videb'ur an-  
quirendum. Enimvero in septuagenariâ ipfa  
ætas non poterat esse non morbus. Sed tamen  
scorbuto, catharris, tussi aliquandiu infestari  
divexariq; cepit. Tandem in febrim hecti-  
cam & phtisin degenerarunt mala, & tam in cu-  
buerunt acriter, ut lecto plane MATRONAM  
affigerent, nec inde liberari ullo pacto pateren-  
tur. Adfuere quidem statim MEDENTUM  
auxilia, quæq; saluti esse unquam possent, ma-  
ture satis adhibita; sed omnia nequicquam. Ut  
vel ipsi valetudinis nostræ Rectores, & *ἀντιδοτοί*  
*ἀντιδοτοί*, hos e ipsos morbos, ipsius mox secu-  
turæ mortis apparitores esse utiq; ex facili au-  
gurarentur. Nec ipsam verò etiam CLINI-  
CAM, quicquid hujus foret, celaretur. Quæ  
proin sarcinulas collegit, seseq; ad discessum  
ex corpore suum providè præparavit. Sumto  
extremo, eodemq; maximè salutari, si rectè  
utaris, viatico, idq; per manum & dispensatio-  
nem VIRI maximè Reverendi Amplissimi &  
Excellentissimi DN. HINRICI MULLERI,  
SS. Th.D. ac Profefs. celeberrimi, Pastoris item  
Mariani præclarissimè cotidè merentis, Colle-  
gæ, Fautoris ac Amici nostri honoratissimi, sva-  
vissimiq; ; immotum ac firmum in Redempto-  
rem.



rem Conservatoremquè mortalium, JESUM  
CHRISTUM à terrâ subindè direxit animum; ;  
quod satis superq; innuere visa sunt crebra illa,  
suspiria, totiesq; iterata preces, quas etiam  
tùm emisit, cùm jam officio non amplius fungi  
lingua, sed balbutire inciperet. Et verò nihil  
ad nos attinet, hæreat lingua constricta silen-  
tio; conniveant oculi, jaceant artus, & altâ  
quiete membra torpeant; modò ad DEUM  
Spiritus vigilet, modò SOSPITATORIS me-  
rito innitatur animus, & tacita mens in cælum  
clamet, non malè quisquam obiturus est diem,  
Tandem 18. Febr. circa septimam matutinam,  
placido leniq; soluta obitu, rebus humanis feli-  
citer beateq; excessit, relinquens post sese ut  
plurimarum egregiarum sexui suo virtutum  
exemplum, sic Neptibus, Nepoti, Filiæ, Ge-  
nero, omnium autem maximè M A R I T O  
grande sui ac planè peracerbum desiderium.  
Enimverò quamvis multa sint, quæ mœrorem  
nobis in vitâ & ægritudinem afferre queant, o-  
mnino tamen statuendum, nihil tristius aut  
ægrius accidere quicquam posse, quàm ubi duo  
summâ animorum concordia ac fide vincti in-  
vicem, & longâ præterea consuetudine, ac re-  
rum communione omnium juncti, sanctissi-  
meque



meq; amantes, necessitate ultimâ divelluntur.  
DEUS venerandum optimumq; SENEM  
SPIRITU suo S. soletur, inq; tantâ ætate ista,  
viduitatis onera ferre clementissimè juvet. Quin-  
&, si ita vilum fuerit, sospitare porro & in-  
usum ornamentumq; REIP. & verò etiam,  
suorum emolumentum, paternè dignetur. Vos  
jam, CIVES ACADEMICI, frequentes in fu-  
nere MATRONARUM clarissimæ nobilissi-  
mæque comparebitis, singulari studio ibi-  
tis exequias, & vestræ ipsorummet  
mortalitatis reminiscemini.

P. P. sub Sigillo Rectoratus, die 27. Maij,  
Anno 1668.

Convenietur in Æde Divæ MARIE  
sacrâ, horâ 3. pomerid.




*Sylva*






















exemplar, verè spoliū temporis,  
 fortunæ, mancipiū laborum, misera-  
 tiasium, præda deniq; mortis. Non-  
 tim, quod primum nascentium est  
 ordimur & veluti inviti lucem susci-  
 nè pueritiā inter flagra; robur æta-  
 operum exigimus, nunc spei, nunc  
 iræ, nunc amoris ludibria? Interea  
 orti semper crescimus, & semper su-  
 Quamdiu enim carneam hanc ge-  
 git molem, tamdiu & nobiscum,  
 cumferimus, quam non deposituri  
 quam illam exuerimus. Bellè tamen  
 enimus hâc viâ eò, ubi nulla ampliùs  
 di causa; à periculis scilicet securi-  
 ore in quietem, à d...  
 tio in patriam  
 im. Itaq;  
 T Aest  
 , qu  
 atan  
 nutavit  
 obilitim  
 sententiã g  
 mmentatio  
 umq; comme

